

Nf. 16.



17

DISSERTATIO EXEGETICA
DE

T Y P O
APOSTOLICAE
DOCTRINAE
DIGNE RECEPTO AC PORRO
RECIPIENDO:

QVAM

Ex Epistola ad Romanos c. VI, 17.

CONCINNATAM

IN REGIA FRIDERICIANA

DIE MARTII HVIVS ANNI MDCCXXX,

AD PVBLICAE DISPVATIONIS ACTVM

EXHIBET

PRAESES

D. IOACHIMVS Sange,

S. THEOL. PROF. ORDIN.

RESPONDENTE

FRIDERICO Kornmann,

HALBERSTADIENSI,

S S. TH. CVLTORE.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.



DISSERTATION
DE
T Y P O
A P O S T O L I C A E
D O C T R I N A E
D I G N E R E C E P T O A C P O R R O
R E C I P I E N D O

Ab Episcopo ad Romanos c. VI. 17.

IN REGIA FRIDERICIANA

AD PUBLICAS DISPUTATIONES ACADEMICAS

D. JOHANNES WILHELMUS

FRIDERICIANUS

UNIVERSITATIS

ET IN CALORE

HALLA MANDENBURGICA

TYPIS CHRISTIANI WENCKELII AGANI TYP.





TEXTUS.

Rom. VI, 17.

Χαίρεις δὲ τῷ θεῷ, ὅτι ἦτε δούλοι τῆς ἀμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδασχῆς.

Sit vero Deo gratia, quod, cum servi essetis peccati, obedivistis ex animo ei doctrinae formae, inquam traditi estis. Luth.

Gott aber sey gedanckt, daß ihr Knechte der Sünde gewesen seyd (und also zu seyn aufgehöret habet,) aber nun gehorsam seyd von Herzen dem Fürbilde der Lehre, welchem ihr ergeben seyd.

CONNEXIO.



Postquam Apostolus capitibus epistolae ad Romanos duobus prioribus & dimidio tertio, egerat de hominibus peccatoribus, tam gentilibus, quam Judaeis, qui in ordine verae poenitentiae gratia justificationis

A 2

tionis

DISSERTATIO EXEGETICA

tionis coram Deo omnes, sine ulla exceptione, egeant, eam vero posteriore capitis tertii parte, & integro quarto capite pluribus descriperat, & eidem fructuum, qui inde proxime resultant, seu charismatum, quæ cum ea quam arctissime connexa sunt, recensionem c. V. subjunxerat, addita comparatione Adami primi & secundi, seu Christi, dissentanea: capite sexto justificationis effectus in continua renovatione positos describit. Renovationem vero e fidelium cum Christo unione ac communione, in veræ conversionis ac justificationis ordine inita ac per baptismum obsignata, ita derivat, ut ejus necessitatem ac indolem evangelio dignam variis argumentis urgeat ac illustret, adhibita inprimis imagine a servorum & servitutis conditione desumpta. Ubi formam argumentandi syllogistica analogam deprehendimus. Nam v. 16. exhibetur propositio major, tanquam regula:

Cuiusque sistitis vos ipsos servos in obedientiam & ipso actu obeditis, sive peccato ad mortem, sive obedientiæ, seu typo doctrinæ obedienter recepto ad justitiam, ejus servi etiam deinceps estis.

Jam v. 17. subsimitur propositio minor, sub formula gratiarum actionis, hunc in modum concepta:

Atqui per Dei gratiam, grato animo agnoscendam, cum essetis olim servi peccati, seu a peccati servitute liberati, sistitis vos ipsos servos typo doctrinæ obedienter recepto, ipsoque actu ei obedivistis.

Con-

Conclusio, quia ultro & per se hinc resultat, omittitur, re autem ipsa in sequenti contextu cum uberiore argumenti inculcatione urgetur, ita se habens:

Ergo a peccato liberati etiam posthac servi estis typi doctrinæ, seu obstricti ad ei per omnem vitam serviendum ad justitiam.

Et hoc ipsum Apostolo erat probandum adversus eos, quorum objectionem, seu pravam opinionem, quasi Christiani ad amplificandam Dei gratiam sub œconomia Evangelii in peccatis possent perseverare, sub capitis initium adduxerat. Hanc igitur, deinceps ex istorum malefanorum ore aliis verbis repetitam, quam efficacissime refellit.

ANALYSIS

CUM SENSU LITTERALI.

Sensus litteralis jam quidem patet, ex iis quæ de hujus loci *συναφεία* dicta sunt. Plenius autem is cognoscitur, si aliquam ejus anatomen, seu orthotomiam logicam, instituamus. Hæc curatius considerata in eo nobis quatuor exhibet propositiones, quæ sunt:

1. *Vos Romani fuistis servi peccati, seu propter peccati servitutem alieni a doctrina christiana: & ipso Christo.*
2. *Vos Rom. traditi estis in typum doctrinæ, seu typus doctrinæ vobis fuit propositus.*
3. *Vos Rom. hunc doctrinæ typum vobis propositum obsequenter recepistis.*

A 3

4- Hic

4. *Hic status vester a pristino illo tam egregie mutatus Deo cum gratiarum actione est acceptus ferendus.*

E quibus quatuor propositionibus emergit quinta: Ergo vobis minime est in peccatis perseverandum, seu status dominantis peccati cum statu gratiæ est *αίσύσεται*.

Ad propositiones medias quod attinet, inter eas, ut logici loquuntur, est relatio eorum, quæ fiunt a parte Dei & a parte nostri. A parte Dei est *traditio*, qua is nos immittit in doctrinæ typum: a parte nostri *recipimus* hanc typum, seu nos in doctrinæ formam tradendos permittimus. Ceterum de structura verborum grammatica hic adhuc notandum est, in istis esse ellipsin, qua suppleta verba ita coherent: *ὑπηνέσασατε δὲ ἐν καρδίᾳ ἀκείνῳ τύπῳ διδασχῆς, εἰς ἔν παρεδόθητε.*

EMPHASIOLOGIA

HUIUS LOCI SECUNDUM OSTENSAS QUATUOR PROPOSITIONES.

PROPOSITIO I.

Vos Romani fuistis servi peccati,

ἦτε δούλοι ἁμαρτίας.

§. I.

CUM ad tres istas voces Græcas hic redeant omnia, tertia, *ἁμαρτία*, nobis primo loco consideranda est.

est: & quidem primum philologice & extra hunc Pauli contextum. Cum a lingua Hebræa, tanquam matre, secundum saniores philologorum sententiam descenderint omnes aliæ, diverso licet modo; probabile omnino est, vocem ἀμαρτίας, & verbum ἀμαρτάνω, originem suam debere vocibus Hebræis cognatæ uti scriptio- nis, ita & sinificationis, מרד, מרה rebellavit, מרר amarus fuit, in Hiphil מרר amaritudine affectit, exacerbavit. Quid enim est peccatum aliud, quam rebellio adversus Deum, seu illud rebellionis crimen, quo quis ipsum exacerbatur, ἀνδροπονίαδὸς loquendo, seu justitiam ejus vindicem ad pœnam provocat. Unde Paulus Rom. VIII, 7-
 το φρόνημα τῆς σαρκός, quod peccati synonymum est, vocatur ἐχθρὰν εἰς τὸν θεόν, inimicitiam adversus Deum, ἀνομία ἢ ἀντινομία, seu פשע, defectionem rebellantem, continere, ac in sola ἀνομιᾷ non subsistente. Vocem vero Latinam, peccatum, peccare, non incommode deducimus ab Hebræa פרא titubare, vacillare; utpote quod peccantium, si ipsorum indoles & consuetudo tantum superficialiter respiciatur, proprium est: quemadmodum illud vernaculæ nostræ Sünde cognationem habere videtur cum voce sondern, absondern: cum peccare sit semet ipsum a Deo avellere ac sejungere, secundum illud Jesaie LIX, 2. iniquitates vestre sunt, quæ separant vos a Deo, h. e. hiatus vos inter ac Deum constituunt tantum, qui non nisi per mediatorem, qui peccata expiet, expleri potest.

§. II.

Jam si vocem ἀμαρτίας in se & intra contextum con-
 fide-

fideremus, ea adhuc majorem accipit δένωσω. In hoc enim notat non peccatum aliquod in specie, sed totum peccati *statum ac habitum*, seu *morbum illum hereditarium*, quo tota humana natura secundum omnes facultates horrendum in modum depravata est: qui morbus, præter summam omnis veri boni rectique privationem ac ἀδυναμίαν, in summa ad malum propensione consistit; immo in ipso malo, tanquam elemento suo, hæret, non secus ac scarabæus in stercore. Et hæc hujus vocis significatio fere perpetua est in stilo Paulino, quoties vox ἀμαρτίας in *singulari numero*, & plerumque simul cum articulo emphatico, ponitur: quemadmodum vel in uno hoc capite sexto decies sexies deprehendimus, nimirum v. 1, 2, 6, 7, 10, 11, 12, 13, 14, 16, 17, 18, 20, 22, 23. Inter quæ loca comma nostrum fere medium est.

§. III

Vox δῆλον pro emphasi sua h. l. quatuor continet momenta, paucis seorsum evolvenda, nimirum 1. *peccati dominantis tyrannidem*: 2. *hominis peccantis & ei subiecti impotentiam* ex ea emergendi: 3. *ejusdem pronitatem* eidem obsequendi; & 4. *ipsius miseriam*, inde exortam. Etenim peccati in statu hominis mere naturali tanta vis est ac violentia, ut hominem sibi plane subiectum intransversum agat, & instar mancipii sub dura teneat potestate. Et hanc peccator ita experitur, ut in semet ipso ad resistendum, & ad istud servitutis jugum detrectandum, summam deprehendat ἀδυναμίαν. Quid? quod ipse Deo rebellis homo, pro
infa-

infano suo erga tyrannum, peccatum, affectu, ultro jugum ejus, & aliud quidem ex alio, expetit, eique colum suum lubens subdit. Atque ita improba *obsequendi pronitas* emergendi *impotentie* juncta est. Hinc vero per se resultat servitutis ejusmodi voluntariæ *miseria*. Est enim peccati jugum quovis jugo Turcico ac Tartarico durius, & eo simul indignius, quo minus id homini ad beatam libertatis usuram condito convenit. Huc accedit, quod, qui peccato subest servus, simul serviat diabolo, tanquam miserrimum ejus mancipium, tandem pro mercede *mortis stipendium* réportaturus v. 23. Hæc est vis vocis *δοῦλος*: quam qui paucioribus exprimere voluerit verbis, non immerito dixerit, denotari *statam servitutis ejusmodi*, in quo homo, ad resistendum emergendumque *impotens*, cum peccato, tyranno suo, ad *miserrimum jugum* quam obsequentissime & iniquissime *conspirat*.

§. IV.

Restat in primo hoc commatis nostri membro verbum *ἦτε, eratis*: quod duo nobis consideranda exhibet momenta: scilicet *affirmationem ipsius rei & determinationem temporis*. Adserit enim Apostolus, servitutum non fuisse imaginariam, sed omnino veram, seu maxime proprie talem, & simul pro natura sua miserrimam: eam vero respectu temporis jam *desisse* cum ipsa vita ante acta, & in locum ejus statum libertatis evangelicæ beatum successisse. Atque ita idem hic de Romanis perhibet, quod scribit de Corinthiis Ep. I. c. VI, 10. II, *Et talia, seu tales* (quales v. 10. indicantur)

B

quidam

quidam ἦτε, eratis, sed estis abluti, sanctificati & justificati, per nomen Domini Jesu & per Spiritum Dei nostri. Et de Ephesius c. V, 8. ἦτε γὰρ ποτε σκότῃ, eratis olim tenebræ, nunc vero facti estis lux in Domino.

PROPOSITIO II.

Vos Romani traditi estis in typum doctrinæ: seu: typus doctrinæ vobis fuit propositus.

§. I.

Etiam hic sunt, quot verba, tot pondera. Sermo est de *typo*, eoque *doctrinæ*. Typus proprie est forma, per calaturam, aut sculpturam, aliamque impressionis speciem, facta: qualem videmus in *sigillis*, ubi nominum certorumque insignium ac emblematum notæ incisæ, aut exsculptæ apparent; quæ conjunctim sumptæ sigilli typum constituunt. Idem conspicitur in monetis, seu *monetarum formis*, quas Germanice *Stempel* appellamus, ubi imagines, cum certis litterarum characteribus in monetam imprimendæ, incisæ sunt! Omnium vero optime, quid *typus* sit, videmus in officinis istis librariis, quæ a litterarum typis vocantur *typographicæ*. Hic enim litterarum characteres dicuntur *typi*, & ejusmodi typorum recte ordinata congeries appellatur *forma*. Ex his, quid *typus doctrinæ* sit, facile potest colligi; nimirum idem, quod doctrinæ forma, quæ:

quæ non solum certis litterarum characteribus ac signis, voluntatem Dei externe exprimentibus, redditur conspicua; sed etiam Spiritum Sanctum, optimum sui ipsius interpretem, & nostri quasi *formatorem*, conjunctum habet, & Paulo 2. Tim. I, 13. ὑποτόπωσις ὑγιαίνουσιν λόγων, *expressa salubrium sermonum forma* vocatur. Quæ verba ea textus præsentis egregie declarant.

§. II.

Et ex his ipsis Pauli verbis intelligimus, quid is per vocem *διδασκῆς*, *doctrinæ*, intelligat, scilicet eam, cujus summa capita sunt in *fide* & *caritate*, ut ibidem addit. Hanc ipsam Tit. I, 9. vocat τὸν κατὰ τὴν διδασκῆν πιστὸν λόγον, *fidum sermonem, qui ad docendum adhibetur*, & τὴν διδασκαλίαν τὴν ὑγιαίνουσαν, *doctrinam illam, quæ sana est*: item Act. XX, 27. πᾶσαν τὴν βεβλήν τῆς θεῆς, *integrum Dei consilium* de salute nostra in Christo. Ad *Evangelium* vero præcipue voce *doctrinæ* respici, vel inde constat, quod illud primaria doctrinæ revelatæ pars sit, & solum ea præditum sit virtute, quæ hominem e peccati servitute liberatum in statum gratiæ & libertatis potest transferre, & in hunc ipsum Romanos transtulerat. Ab *evangelio* autem doctrina *legis* non magis potest separari, quam in ipsa Dei natura a *gratia* *justitia* potest se jungi. Et utriusque, tam legis, quam evangelii, typum jam semel admissum Romanis ad uberiores usum a Paulo commendari, integer totius epistolæ contextus satis superque testatur.

§. III.

Tradendi, seu *immittendi actus*, quo doctrinæ typus Romanis fuerat propositus, etiam est ἐπιφάσις ἰσχυροῦ, verbo παραδόχης expressus. Quod verbum cum particula ἐστὶν constructum e. g. tradere aliquem in custodiam, alicui aliquid in manus, duo indicat, *tradentis potestatem* ac *potentiam*, & simul, pro re nata, *traditi custodiam* ac *securitatem*, a fidei recipientis asservatione pendentem. Id quod, ad locum presentem, in quo Romani in typum doctrinæ traditi dicuntur, applicatum, Deum nobis exhibet, tanquam traditorem, tradendi non solum potestate, seu jure, sed etiam potentia ac viribus polentem. Qui traditionis actus in quantum traditorum bonum cesserit, vel inde liquet, quod per eum *traditi* ipsius *tradentis depositum* facti sunt carissimum, summa cum cura quam fidelissime asservandum.

§. IV.

Tradendi vero *modum* si pressius consideremus, eum deprehendimus plane egregium ac ipsi rei convenientissimum, iisdem imaginibus, quarum jam antea in *typi* descriptione mentio facta est, illustrandum. Deus Romanos per efficacissimam gratiæ suæ operationem ita immiserat in typum doctrinæ, uti in formam monetarum rude immittitur argentum, aut aurum; uti in formam typographicam immittitur charta litteris vacua. Atque ita hæc traditio, seu immissio, pro emphasis sua impressionem & expressionem notat talem, quæ formæ characteres ea in re, in quam forma imprimatur, expressi comparent. Quid vero hæc *traditio*, seu

im-

impresso, ad doctrinæ typum applicata, est aliud, quam *divinæ imaginis instauratio*, & divina unctio, qua Deus hominem, natura ipsi repugnantem, sine ulla coactione reddit morigerum ac habilem, ipsique gratiæ dona, dona fidei, caritatis ac spei, largius infundit. Et hoc ipsum est, quod, inter alia sermonis sacri synonyma, indicatur, quando Deus dicitur *cordibus nostris legem inscribere* Jer. XXXI, 33. Equa divinæ legis, generatim sic dictæ, seu totius revelatæ, & ad salutis fundamentum ac ordinem pertinentis, doctrinæ inscriptione ibidem & loh. VI, 45. nec non Hebr. VIII, 10. Θεοδιδασκαλίας charisma derivatur, per quod λόγος τῆς βίβλ. redditur ἐμψυτ. & revera ἐμψυχ. Jac. I, 18. 22.

PROPOSITIO III.

Vos Romani doctrinæ typum obsequenter recepistis, seu obedienter sivistis vos in eum tradi, eumque in vobis exprimi.

§. I.

Huc pertinent textus verba: ὑπακούσατε ἐν καρδίᾳ, *obedivistis ex animo*, scilicet illi doctrinæ typo, in quem traditi estis. Hæc in Romanis laudata ὑπακοή aliud supponit, aliud continet. Supponit ἀκοήν, *auditionem* & justam institutionem, per quam facta fuerat ὑπόστυψις, seu

B 3

seu

seu accuratior doctrinæ repræsentatio, ad modo dictam traditionem pertinens. Nec enim Romani ad Christum conversi fuerant per inspirationem & revelationem a Deo ἀμείωτος acceptam, sed per prædicationem Evangelii, ita ut ἀκοή abiret in ὑπακοήν; quemadmodum Paulus in ipsa ad illos scripta epistola c. X, 17. expresse perhibet. Continet vero ὑπακοή, seu obediendi actus ac habitus, duo momenta; unum *submissæ attentionis*, alterum *sincerae receptionis*. De utroque seorsum.

§. II.

Genuinam ἀκοήν, *auditionem*, quæ cum ὑπακοήν, *obedientia* conjuncta est, non esse sine *submissa attentione*, præter rem ipsam etiam propositio, qua cum ista vox composita est, ὑπὸ indicat; utpote quæ habet notionem *subjectionis* & *submissionis* erga dicentem ac tradentem, seu Deum, qui doctrinæ typum exhibet. Ea vero non est naturalium virium, sed ex operante gratia Spiritus Sancti, qui per typi repræsentationem efficit, ut auditor per ὑπακοήν digne pendeat ἀπὸ τῆς ἀκοῆς, & cum sancto discendi desiderio pateat docenti, & attentionis submissæ impedimentis remotis, idoneus & constans Christi discipulus fiat, disciplinæ ipsius deditissimus. Ejusmodi attentio erat in discipulis Christi Emmauticis, qui eam his confitebantur verbis: *Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loquebatur nobis in via & aperiebat nobis scripturas?* Luc. XXIV, 32. nec non in *Lydia* porphyropoli Philippensi Act. XIV, 16. Hæc enim *audiebat*: ut vero *digne audire* posset, *Dominus*

mus

nus ipsi cor aperiebat, ut recte attenderet iis, quæ a Paulo dicebantur. Videmus itaque ad veram attentionem quam ὑπακοή requirit, pertinere cordis apertionem, quæ Joh. VI, 44. vocatur *tractio Patris ad filium*. Sic ὑπακοή, attendere, est περισσώδως προσέχει τοῖς ἀκούσασιν, Hebr. II, 1.

§. III.

Jam si ita se habet *attentio*, ea omnino conjuncta est cum *digna receptione*. Hæc vero digna est, si est *sincera*, hoc est, si non solum fit *intellectu*, sed omnino etiam *voluntate*. Quam conjunctam utriusque facultatis operationem uti res ipsa requirit; sic hæc etiam genuit regulam istam hermeneuticam, quod *verba sensuum*, quale est verbum ἀκούω, intelligenda sint de *affectu & effectu*. Jam vero si τὸ ἀκούω tantæ est emphaseos; quantæ, non erit τὸ ὑπακοή? Indicatur itaque hic ejusmodi doctrinæ & ejus typi receptio, qua ista, saluberrimi alimenti instar, in succum quasi & sanguinem ad eo convertitur, ut inde καὶ κτίσις existat. Quæ istius admissio adfert ejusmodi μεταμόρφωσιν, qua, forma animæ nostræ vetere corruptissima magis magisque exuta, nova illa, quæ Dei imagine coruscat, induitur.

§. IV.

Probe autem notandum hic est, verbo ὑπακοή, secundum affectionem *mentis, lucis, & voluntatis, vita divina* instructæ, sic considerato, quam maxime notari *fidem*; utpote quæ divina *lux & vita* est. Etenim typo doctrinæ recte attendere, eumque ita admittere, ut ille

le animæ imprimatur, & anima eidem impressa, & ad ejus hypotyposin expressa formetur, est *opus fidei*. Id quod hæc ipsa epistola ad Romanos nobis declarat: & circa ipsum quidem initium: ubi Paulus v. 5. *per quem Iesum Christum, inquit, accepimus gratiam & apostolatum*; addito huius muneris scopo, *εις υπακοήν πίστεως, ad obedientiam fidei*. Qui locus cum nostro collatus hanc egregie illustrat; quemadmodum hic istum. Nam quod capite sexto est *ωραδι in typum doctrine, eique ex corde υπακωσεν, obedire*, capite primo est *addaci εις υπακοήν πίστεως, ad obedientiam fidei*, seu eam, quæ fit *per fidem*. Cui quando obedientia tribuitur, respicitur non solum ad eius effectum, seu fructum, qui alias *novæ obedientiæ* nomine vocari solet; sed etiam, & quam maxime, ad *ipsam fidei formam*: si quidem credere nihil est aliud, quam a vocantis Dei nutu pendere, & gratiam eius in Evangelio oblatam ita recipere, ut per eam dignæ, seu in ordine conversionis, receptam, iusti & vitæ æternæ hæredes coram iudicio Dei declaremur. Quæ *υπακοή πίστεως, obedientia fidei evangelica*, obedientiæ, quæ se deinceps in universo renovationis cursu exserit, & quam Paulus in integro contextu urget, caussa & alma mater est. Et de hac ipsa fide iisdem verbis agit Paulus infra c. XV, 18. & c. XVI, 26. Et cum opposita iuxta se posita magis clucescant, notandum hic est contrarium, quando *απιστία* dicitur *παρακοή, inobediencia*. Conf. Matth. XXIII, 37.

§. V.

Nec incommode hæc hujus verbi *ἵκανθεν*, & istius *παραδίδουαι*, emphasis illustratur ex istis, quæ supra de proprietate typi allatæ sunt, imaginibus e re *monetaria* & *typographica* desumptis. Quemadmodum enim tradere animum in formam doctrinæ, est eam ipsi ita imprimere, ut is inde bene formatus formam impressam referat: sic *ἵκανθεν τῷ τύπῳ διδασχῆς*, est semet ipsum huic typo imprimendum permittere, eumque ita in semet ipso exprimendum curare, ut is ad vivum expressus representetur. Hæc ratione fideles fiunt quasi Dei *monetæ*, quæ Dei, summi principis, imaginem cum ipsius inscriptione de sua *ἰοθέρῳ* referunt: sunt instar *chartæ puræ*, cui Scripturæ Sacræ, seu doctrinæ christianæ, forma ita impressa est, ut facile legi possit; cum, quot eduntur actiones, & quot exstant regnitæ mentis signa & documenta alia, tot vivi exhibeantur characteres, adeo ut tota hominis vita, typo suo sic conformata, sit *ἐκτύπωσιν*, *ἀεχρῶσιν* suo, Dei voluntati egregie respondens. Etenim Scriptura Sacra, tanquam typus doctrinæ, describit ordinem salutis secundum omnes partes suas, ita comparatas, ut ad cujusvis veri christiani praxin pertineant, ejusque vivam subeant experientiam. Quare, *obedire isti typo*, est ordinem ipsum ipsa praxi inire, eundemque in semet ipso vere ita experiri, uti eum scriptura exhibet, & hac ratione habere, aliisque re ipsa declarare, mentem ac vitam scripturæ formæ conformatam; immo esse quasi *epistolam Domini, Spiritu ipsius Dei viventis ita scriptam, ut ab*

omnibus legi ac cognosci possit: quemadmodum loci nostri emphrasin Paulus 2. Cor. III, 2. 3. quam significantissime declarat. Jam vero qui typo doctrinae hoc modo praestat obsequium, is illud certe praestat *in cordibus, ex animo*; quod Paulus addit; h. e. secundum utramque mentis facultatem, quae in sacris litteris *cordibus* nomine exprimitur; quam maxime secundum *voluntatem*; utpote cuius concepta vita spiritualis etiam intellectum eiusdem generis luce collustrat. Unde per se emergit *deus*, additae vocis *cordibus*, non minus ad rei, de qua sermo est, *sinceritatem*, quam ad eiusdem *soliditatem*, referenda.

PROPOSITIO IV.

Hic status vester, o Romani, a pristino illo tam egregie mutatus, Deo cum gratiarum actione acceptus est ferendus.

Hic de verbis ipsis notandum est, *gratiam*, quando a Deo derivatur in homines, esse gratuitum & paternum eius favorem, insigni charismatum copia exuberantem; sed eam ab homine ad Deum relatam, pro natura hominis egentissimi, esse debitam gratiarum actionem. Quae utriusque significationis cognatio, in analogia causae & effectus posita, indicat, gratiam Dei

Dei conferri ad finem & effectum dignæ gratiarum actionis, & hanc non esse genuinam, nisi ipsa gratiæ *χαρίσματα* digne sint recepta, & subinde fidelius recipiantur, omni Pelagianismo a vita christiana sic penitus seiuncto. Eadem est proprietas vocis *εὐλογίας*, *εὐλογεῖν* utpote quæ de Deo usurpata notat gratiæ dona collata, de hominibus eorum usum, cum gratiarum actione digne collocatum. Vide utrumque Ephes. 1, 3.

USUS

HVIUS TEXTVS IN APPLICATIONE AD THEOLOGIAM THETICAM, PER AXIOMATA PORISMATICA EXHIBITVS.

AXIOMA I.

Studium dogmaticum theologiæ cultoribus debet esse commendatissimum.

ILLUSTRATIO.

1. Id enim, ad typum Scripturæ Sacræ recte compositum, continet ipsam illam doctrinam apostolicam, ad quam, Romanis traditam, Apostolus præsentem in loco provocat. Hac vero quid esse posset præstantius? Et in nulla theologiæ parte typum doctrinæ concinnius exhiberi, quam in *thetica*, res ipsa indicat. Non quidem desunt, qui forma eius systematica offenduntur, caussati, illam esse affectatam & a simplicitate

Apostolica alieniorem: negari etiam nequit, genuinæ simplicitatis, ne dicam etiam puritatis, defectu aliquo laborare Theologiæ dogmaticæ systemata & compendia haud pauca: at vero hoc ipsi formæ dogmaticæ, quæ catenatum doctrinæ nexum exhibet, obstare nequit. Quod si unum tantum haberemus librum sacrum, ex illo etiam dogmata sparsim tradita possent in iustum aliquod corpus redigi. Jam vero cum in codice utriusque testamenti sacro plures habeamus libros; nonne consultum omnino est, ut, quæ ad hanc & istam doctrinam pertinent, inde collecta nobis conjunctim ponantur ob oculos, & singula doctrinarum capita sic digesta eo coordinentur nexu & ordine, quo inter se coherent?

AXIOMA II.

Nullus peccati servus, cum perseverantia talis, est idoneus & dignus theologiæ theticæ auditor ac cultor.

ILLUSTRATIO.

Ratio hujus, asserti cuiusvis hic facile est in promissu. Romani enim, cum doctrinæ typum reciperent, eique se quasi imprimendos, seu ipsum in se exprimendum, curarent, desiderant servire peccato; & quidem per ipsam illam doctrinæ formam. Unde de ipsorum statu

statu loquens Apostolus : ἦτε, eratis, inquit, peccati servi, sed obedivistis ex animo illi doctrinæ typo, in quem traditi estis. Quid? quod peccati servus sit homo mere naturalis, ψυχικός, quem spiritualia recte percipere posse, Paulus negat 1. Cor. II, 14. Quæ negatio uti in omnes theologiæ partes, sic præcipue in theticam, ita cadit, ut justa ejus tractatio sine statu gratiæ, in quo non amplius peccato, sed Deo servimus, locum habere nequeat. Et quis nescit *typum doctrinæ* esse venerabile sanctissimæ fidei *mysterium*, immo mysteriorum complexum? Hunc autem servandum esse in *para conscientia*, Paulus 1. Timoth. III, 9. gravissime urget, Certe, nisi sincerum est theologiæ vas, quicquid infundis, pravorum affectuum errorumque labe corruptum acescit.

AXIOMA III:

Omnis theologiæ theticæ tractatio, cultori suo regenito conveniens, merito est practica, ad perpetuam fidei ac caritatis praxin referenda.

ILLUSTRATIO.

Sic eam tractaverant illi, qui Romanis prima doctrinæ christiænæ elementa instillaverant, eorumque plurimos jam tum ad aliquem τῶν τελείων statum per-

duxerant. Et hic ipse satis superque indicabat, quo affectu effectoque Romani dogmaticum doctrinae typum receperant. Quos cum imitari debeat quilibet christianus; quidni imitaretur is, qui ipsum vitae suae genus theologiae studiis consecravit? Quae imitatio quo erit fidelior ac constantior, eo felicius auditorum, quos unusquisque pro Dei nutu formandos accipit, institutio succedet. Etenim qui ipse doctrinae typo se ita imprimendum curavit, ut ad praxin fidei ac vitae retulerit omnia, is eundem disciplinae ordinem etiam apud alios urget, id agens omni nisu, ut iis, tanquam rudi monetae, Dei imago imprimatur, ab aliis facile agnoscenda.



PRAE-

PRAESES

RESPONDENTI

GRATIAM AC PACEM ADPRECATUR
A DOMINO!

Domesticum domesticus, SCHAEFFERVM
KORNMANNVVS, *pastorem*, in sensu morali
talem futurum, *agricola* eodem sensu futu-
rus disputando excipit. Cui nomini tuo, KORN-
MANNE carissime, ut recte respondeas, omnem
dabis operam. Respondebis vero quam cer-
tissime, si caelestis doctrinae, tanquam purioris
femini, *grana*, sub disciplina nostra largius spar-
sa, receptaque, in temet ipso, tanquam agro non
infecundo, recte digesseris: si is doctrinae typus,
ad quem formari coepisti, in re ita fiat conspi-
cuus, quemadmodum esse debet in iis, qui gre-
gi Domini aliquando esse volunt *tybo*, non in
doctrina solum, sed in tota quoque vita. In quo
ut spem meam impleas, immo superes, est, quod
ex animo opto.

CO-

COROLLARIA
EX EPISTOLA AD ROMANOS.

I.

Paulus capite septimo non agit de rege-
nitis, in statu gratiæ jam constitutis, sed de illis, qui
in statu sub lege e gratiæ prævenientis &
præparantis disciplina & motibus ad sta-
tum gratiæ adspirant.

II.

Creatura gemens Paulo cap. VIII, 19. seqq.
est mundus physice consideratus, ab hu-
mano genere distinctus, in primis pars e-
jus inferior, hominum usibus præcipue
concessa, & propter peccatum vanitati
subiecta.

III.

Illa Iudæorum conversio, quæ a Paulo cap. XI,
23. seqq. adseritur, cum ipsa diversarum
gentium conversione pleniore, adhuc fu-
tura est.





Fig 6179


ULB Halle

3

002 675 65X







17.

DISSERTATIO EXEGETICA
DE
T Y P O
A P O S T O L I C A E
D O C T R I N A E
D I G N E R E C E P T O A C P O R R O
R E C I P I E N D O :

QVAM
Ex Epistola ad Romanos c. VI, 17.
CONCINNATAM

IN REGIA FRIDERICIANA
DIE MARTII HVIVS ANNI MDCCXXX.
AD PVBLICAE DISPVATIONIS ACTVM

EXHIBET
P R A E S E S
D. IOACHIMVS Sange,
S. THEOL. PROF. ORDIN.
RESPONDENTE

FRIDERICO Kornmann,
HALBERSTADIENSI,
S. S. TH. CVLTORE.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.